

go etiam Christianismum. Et T. V. p. 639. Allein der Glaube an Christum ist unser Gerechtigkeit / von Christo werden wir Christen genennet / und auch zu Heiligen gemacht. Denn der Glaube ist das Haupt / und die Werke sollen hernach folgen. Idem olim sensit Ambrosius, propterea ab Aug. Conf. laudatus, *Artic. VI.* Nec aliter docent Vitembergenses, Lutherum secuti, in der Antwort und Rettung der Wahrheit *P. II. Art. VI. p. 563.* & FEVERBORNIVS, qui in *Opp. p. 1023. seqq.* argumentum hoc ita persecutus est, vt hac nostra aetate vixisse videatur. Si ergo sanctimonia vitae & charitas non constituit, sed declarat tantum Christianum, quomodo constituat Theologum?

IV. *Pharisaei & ipsi fuerunt illuminati ex parte, & alios illuminare potuerunt.*

§. I

Quicumque a) hominibus saluandis erant *audiendi*, b) *docebant* ea, quae ad salutem scitu & factu erant necessaria, c) *tractabant legem & euangelium*, d) *notitiam supernaturalium*, Mosi congruam, habebant e) eam *ex reuelatione diuina*, recte intellecta, depromebant; f) *maledictionem sibi contrahabant*, ea non faciendo, quae docebant: illi HACTENVS & ipsi fuerunt illuminati, & alios illuminare potuerunt. Atqui Pharisaei. Ergo. Maior probatur a) Quia Seruator, hoc consilio, audire Pharisaeos, mandauit populo, vt ille ab eis in rebus, ad salutem necessariis, doceretur, illuminaretur, fidem conciperet, & salutem consequeretur. Finge vero, *populum a Pharisaeis illuminari non potuisse*, eo, quod fuerint impii, annon hac ratione fine suo excidisset Seruator? cur non potius auctor fuit, vt domi quilibet suae Mosem legeret, & legendo illuminaretur? cur maluit ad doctores impios, ad illas, vt aduersarii calumniari solent, *bestias illuminatissimas*, populum remittere? Praestitisset sane, domi Mosem

sem